

*Q. D. B. V.*

103

Fr.

THESES RHETORICAS

De

NUMERO ORA-  
TORIO,

Loco

*Speciminis Valedictorii,*

sub Præsidio

CHRISTIANI WEISII,

Gymn. Zittav. Rectoris,

in Auditorio publico,

horis antemeridianis

d. 12. Maj. M DCCVII.

defendet

GEORGIUS REICHENBACH

Francofurt. March.

---

Zittavia,

Typis Michaelis Hartmanni.

THESE ARE THE  
HIGHLIGHTS OF THE  
LAW OF CHRIST  
AS IT IS  
RECORDED IN THE  
NEW TESTAMENT  
AND THE APOCALYPSE  
OF JESUS CHRIST  
AND THE PROPHET  
JOHN.  
THESE ARE THE  
HIGHLIGHTS OF THE  
LAW OF CHRIST  
AS IT IS  
RECORDED IN THE  
NEW TESTAMENT  
AND THE APOCALYPSE  
OF JESUS CHRIST  
AND THE PROPHET  
JOHN.

*VIRIS*

*Nobilissimis, Excellentissimis, Amplissimis,  
perquam Reverendis & Clarissimis*

**DN. CHRISTIANO LIEBCHEN/**

Sereniss. Reg. Maj. Prussiae Consiliario, & Dica-  
sterii Ducalis apud Crosnenses Assessori  
spectatissimo.

**DN. ADAMO EBERTO,**

J. U. D. ac in celeberr. Francosurtensium Aca-  
demia Professori Extraordinario dignissimo.

**DN. M. GEORGIO HOL-  
STEINIO,**

Pastori & Inspectorri apud Züllichenses  
meritissimo.

**DN. CHRISTOPHORO HEN-**

**RICO GAUDERBACH/**  
Cameræ Regiæ & Dicasterii Crosnensis  
Advocato famigeratissimo.

**DN. GODOFREDO LIEBCHEN/**

Ecclesiæ Drenoviensis Pastori vigilantissimo,  
**PATRONIS** studiorumq; suorum  
**FAUTORIBUS**  
commendatus esse cupit  
deditissimus  
**RESPONDENS.**

\* \* \*

**A**D vestros oculos properant theses, breves illa  
quidem, & ut videntur, umbratiles: quibus  
tamen carere vix possunt, qui qualem qualem ser-  
monis gloriam captare statuerunt. Cur enim a Vo-  
bis discedam, quorum votis & consiliis hactenus  
proficere licuit, quorumque benignis & amicis suf-  
fragiis ulteriore fortunae successum promittere mi-  
hi velim? DEUS est cui studiorum tractationem  
& expectationem christianus omnino relinquit.  
Quos tamen Deus, tum solida facultate, tum para-  
ta voluntate sic instruxisse videtur, ut has, in me  
sublevando, partes suscipere libenter cupiant: illis  
velut divinae providentiae ministris gratam quoque  
venerationem & observantiam deberi profiteor.  
Quamobrem ut Vos salvos & incolumes servet,  
omnique negotiorum successu felicissimos reddat, supre-  
mi Numinis bonitas, etiam atque etiam precor: da-  
turus operam, donec studiorum aliqua merita pro-  
dire queant, ne quid in studiis aut moribus Vestro  
favori minus respondisse videatur. Deus vos  
servet. Dab. Zittaviae d. II. Maj.

M DCCVII.

I. In-



### I.

Nter Rhetorum mysteria scribi  
qvoq; meretur NUMERUS O-  
RATORIUS: qvem multi sicono-  
minare solent, ut magis admiran-  
dum, qvam liberius imitandum  
arbitrentur.

II. Efficiemus tamen, ne res in se facillima, nobis  
obscuritatem relinqvat. Nam qvi tres Oratoriae par-  
tes fuerunt persecuti, *Inventionem*, *Dispositionem* &  
*Elocutionem*, nonnulla simul monenda putant, qvid  
sibi velit *Actio* & *Pronunciatio*. Nec alienum ab  
hoc ordine fuerit, Numerum modo dictum, referre  
ad Pronunciationem.

III. Sed Pronunciationis varia requiruntur subsi-  
dia, præsertim. *Subsidium NATURÆ*, *Subsidium*  
*FORTUNÆ*, *Subsidium DOCTRINÆ*.

IV. Ad Naturam refertur vocis claritas, clamandi  
constantia, distincta syllabarum expressio, qvin &  
sermonis canora qvædam svavitas: unde loquentes  
præ multis aliis commendari solent.

V. Politicūm subsidium vela dignitate, vel ab hominum existimatione & præjudicio venit, ut qvem honestum, sapientem, fidelem arbitramur, ejus sermoni meliorem euphoniam adfuisse credamus.

VI. Subsidium doctrinæ pertinet ad ipsam nostram Oratoriam, qvæ styli compositionem s. constructionem simul attendit, adeoq; prospicit, ne qvid intercedat, unde pronunciationis aliquia gratia corrumpatur.

VII. Cautiones autem sunt, vel grammaticæ, vel oratoriæ. Grammatica Syntaxin vocabulorum, non modo simplicem, sed curiosam simul præ oculis habet, ne qva vocabula collidantur, qvæ difficultem vel ineptam reddant pronunciationem.

VIII. Res ita se habet. Si qvem offendit aspera formularum scabrities, is initio caveat, ne commatum nimia sit prolixitas, qvæ loquentis spiritum velut intercipiat, ac pudibundam festinationem requirat.

IX. Deinde caveat, ne consonantium inamoena percussio, vel vocalium intempestivus hiatus, flumen orationis, impedit vel exasperare videatur.

X. Ultimo dispiciat, ne monosyllaba, vel jejunam brevitatem, vel voces dactylum spirantes, nimiam levitatem ostendant.

XI.

XI. Oratoriæ cautiones, ipsi themati propiores, nihil in Affectibus aut Moribus exprimi posse statuunt, nisi verborum structura dicentis ipsum spiritum impellere videatur. Qvin etiam in particularum connexionibus ita procedunt, ut lectores etiam mera pathetica referri putentur.

XII. Sane qvod curam grammaticam concernit, juvenes nunquam adeo stupidi sunt, qvo minus hanc construendi solertiam capere possint, id enim vel hac ratione demonstrari solet: qvod latina lingva, cuius præcipuam curam hic habemus, synonymis plenumq; gaudet, qvæ per vices vel consonantem vel vocalem exhibent, *ensis, gladius; amare, diligere; mens animus; nam, enim; sed autem* &c.

XIII. Sic si sola synonymorum variatio succedat, omnis qvidem styli scabrities suum invenit remedium. Et hæc etiam esse solet causa, cur verborum copiam præ cæteris urgeamus, ne desit Euphoniacæ subsidium.

XIV. Nonnulli juvenibus commodum arbitrantur, si meliorum Auctorum certa pensa, verbis aliis reddant. Qvos tamen vereor, ne decipiatur synonymorum ista libertas: qvippe qvod mutatis verbis, simul mutari creditur Numerus noster.

XV. Ast oratoriæ curam, qvi juvenibus etiam provectionibus injicere velit, præsertim in exemplis, qvæ

qvæ profundiorem sapientiam, huic, cur  
successus nimium felix promitti debeat, nemo videt.

XVI. Nam qvotus qvisq; legit Auctorem, ut ex  
ipso pronunciationis accentu genuinus cognoscatur  
sensus? Certe qvemadmodum in Scholis exigitur  
Auctorum repetitio, ita vel ipse legentium sonus de-  
clarat, qvam parum perceperint scribentis emphasis.

XVII. Crediderim, si Cicero redditurus esset, non  
paucos Ciceronianos, hoc nomine futuros indignos,  
qvod pronunciando multa contorqeant in alienum  
sensum. nam si commatum & colorum confusio,  
styli præcipuam intentionem intervertit; majorem  
adhuc vim habet, accentuum & spirituum mutatio.

XVIII. Equidem qvod apud scribentes sunt con-  
suetæ distinctionum signa: postea si legentes acce-  
dant, idem valent vocis elevationes & depressiones,  
cunctationes & festinationes.

XIX. Memini Comœdiām spectare, cuius ipse  
fuissem auctor, ut ad me pertineret interpretationis  
legitimæ judicium: Sed dici non poterat, qvantum  
ab auctoris animo, qvin & ab ipsius argumenti de-  
coro discederet nova loquentium cantilena: ut ope-  
ræ pretium fore credam, si suis accentibus singula no-  
tarentur commata, qvod in suis Breviariis faciunt  
Romanenses.

XX.

XX. Sane numeri denominationem accepimus a Poëtis, qui pedum & syllabarum rationem habent accuratiorem. Qvicquid enim in versibus strictam & apertam habet necessitatem: id in oratione paulo tectius ac liberius retinetur.

XXI. Inde qui decorum oratorium sectantur, Numeri quoq; legitimam requirunt mediocritatem. Idq; tanto justius, quod ipsi Poëtæ quendam in numeris suis excessum produnt, si discernere nequeant accentum scansionis & recitationis.

XXII. Ut enim scansionis strictam observantiam respiciunt discentes, ne septem vel quinque pedibus delirasse videantur: ita nihil solet esse turpius, cum ipsa carminum recitatio prolabitur in puerilem eam scansionem. Prorsus ut aniculæ suis alumnis versiculorum formulas, nimium canoras inculcant; cuius confusione studinis vitium, ne adulti quidem exuere possunt.

XXIII. Similem fortunam saepius experiuntur Cantilenæ tum sacrae tuæ profanae, quæ dum abeunt in plures strophas, ac unius tamen melodiae regulas observant, fieri non potest, quin auctoris sensus aliquando deformetur, aut evertatur. Idq; tanto magis, si Melopœus oratoria tum didactica, tum naturali penitus destituatur.

XXIV. Sed ut redeamus ad oratoriam mediocritatem, vitio plerumque verti solet, si quis integrum

B

ver-

versus, velut nesciens, irreperere patiatur. Qvo tamen  
loco versus vocari non debent, qvi suis cæsuris desti-  
tuti, nullum intempestivæ scansionis habent pericu-  
lum. Sic Tacitus Annales suos inchoat.

*Urbem Romam principio reges habuere*  
qvæ verba contorqveri possunt in scansionem pecu-  
liarem, tamen & oratoriam habent majestatem in li-  
bera pronunciatione.

XXV. Germani forsitan hos casus evitare neque-  
unt, qvo minus in ipsa prosa totas lineas concipient,  
ad numerum poeticum comparatas: Nec id in ver-  
nacula Lutheri versione rarum est: unde facilem illi  
nanciscantur construendi venustatem, qvi dictum à  
Luthero germanice redditum, redigere jubentur in  
versiculos, aut hymnos.

XXVI. Interim peculiarem hic observamus ratio-  
nen. Nam ut nos regulam, applausu non paucorum,  
formavimus: *Nullam constructionem in versibus*  
*germanicis esse probandam, qvæ simul adhiberi non*  
*possit in prosa:* ita propriem constructionis prosai-  
cæ & poeticæ deprehendimus affinitatem, ut in hu-  
jus generis stylo, insitam qvandam & ultro fluentem  
svavitatem admirerimur.

XXVII. Malè qvosdam habuit, qvod de legibus  
profaicis in carmine dictitavimus. Sed ipsa lingvæ na-  
tura nos admonet, ne lingvam ab intempestivis vo-  
ca-

cabulorum trajectionibus alienam , ac in se qualiter-  
cunq; duram & asperam regulis e Latio petitis, inqui-  
nemus.

XXVIII. Sed maneamus intra nostros terminos.  
Multi passim extant, qvi numerum oratorium ha-  
bent in potestate, cum tamen exiguam venustatem  
probent in numero poetico: qvod fortassis ipsum  
Ciceronis exemplum confirmat. inter recentiores  
habemus Jesuitam Pontanum, stylo clarum, sed in  
versibus asperiorem, qvi cum ægnima proposuisset  
socio Scriverio.

*Dic mihi quid majus fiat, quo plurima demas?*  
hoc autem significat FORAMEN, cuius magnitudo  
crescit, qyo magis adjecti corporis moles decrescit, is  
tamen pro solertia sua respondit.

*Pontano demas carmina, mojar erit.*

XXIX. Sed nunc inquirendum est, qvotuplex sit  
hic Numerus? cum pro styli diversitate, mensuram  
æqvè diversam reqviramus, ac forte Sapphicum alia  
scansione dirigitur qvam Choriambicum, Elegiacum  
qvam Glyconicum.

XXX. Interim à diversitate styli, ad diversitatem  
numeri non valet consequentia: nisi diversam esse  
statuamus Musicam, si textus vel lætior aut tristior,  
vel brevior aut prolixior fuerit oblatus.

XXXI.

XXXI. Qvamobrem libenter statuimus Stylum esse sublimem, mediocrem, facilem, qvin & agnoscimus differentiam styli fluidi & concisi. Sed qvemadmodum Poeta suos pedes retinet in qvovis arguimento, si vel maximè jam spondæos jam dactylos reqvirat: sic numerus varietatem accipit ratione objecti.

XXXII. Nam si conqviescere libeat in stylo fluido & conciso: qvi nimis in dicendo fuerit copiosus, ut multis hiatibus vix absolvere queat Periodum, ipsedes sui numeri habeat festinantes, exemplo Poetæ.

*Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.*

XXXIII. Vicissim qvi stylo gaudeat conciso, tardiorem scandendi rationem observet, exemplo Poetæ: *dabit Deus incrementum.*

XXXIV. Id qvoq; notandum, numeri oratorii curam aliqualem in orationibus extemporalibus, diligentiores in conscriptis orationibus, exqvifitissimam in epistolis, habendam esse.

XXXV. Nam qvicquid in extemporali sermone velut sub lingva nascitur; si vel maximè constructionem minus numeratam habeat, dicentis tamen solertia, tum scabritiem dissimulare, tum externam pronunciationis syavitatem captare potest.

xxxvi.

XXXVI. Scriptas tamen Orationes, si legi velimus ab aliis: sicut Isocrates magnum putavit Demosthenis orationem recitare: necesse est adjuvari lectorem, ne vocabulorum immoenior concursus, auditori molestiam apportet.

XXXVII. Sed qvotus qvisq; perlegendis orationibus det operam; cum exadverso scriptas epistolas velut breviores, & conditioni nostræ propiores, multo intueamur libentius. Qvibus tamen si qvicquam insit, unde styli turbetur gratia, non est, cur nimium censoris applausum expectemus.

XXXVIII. Cæterum in ipso thesium exitu pone-re libet Numeri oratorii definitionem. Nam ea nobis probatur quidem, sed ut nimium laxa recipi non potest. *Numerum esse quicquid sub aurium mensuram cadit.* Qvamobrem nobis dicitur, *Numerus artificium compositionis, quo vocabula decenter ordinantur, ut exinde constet universæ dictiōnis Euphonias.* Nunc ea dixisse sufficiat.

Co-

## Corollaria.

1. *Oratoria* refertur ad disciplinas instrumentales.
2. Inde proponi potest methodo jam à *Logicis* recepta.
3. Habet enim duas partes, quarum prior persequitur naturam instrumentorum, altera procedit ad instrumentorum applicationem.
4. Tribus autem classibus dispescuntur Instrumenta *Inventionis*, *Dispositionis*, *Elocutionis*.
5. Et quoniam ordo doctrinae, faciliora prius attingit quam difficiliora: mirum non est, *Inventionis* instrumenta juvenibus, ultimo loco proponenda: plane ut in *Logica* doctrinam termini subjunximus, *Enunciationi* & *Syllogismo*.
6. Pars practica, quae pergit ad applicationem generalem, occupatur in *Oratione communi*: specialis tria Causarum genera persequitur, *Scholasticum*, *Ecclesiastium*, *Politicum*.
7. Sunt Oratores, qui nimium crepant Aristotelis entyphemata, velut arcanum hujus disciplinae. Sed nihil in illis reperitur, si spectes inventionem, praeter argumenta topica: nihil, si spectes ordinem, nisi nostrum *Antecedens* & *Consequens*.

Ad  
dilectissimum Respondentem  
Epistola  
PRÆSIDIS.

**N**on obstiti, quo minus publicum aliquod specimen ex adib⁹ meis referre queas. nam qui tum convictorio, tum contubernio mihi saepe fuisti conjunctus; qui sedulitatis meæ testis es; qui profundiores methodi nostra regulas non ignoras: hac hospitis & preceptoris opera carere non debes, quam antecessores tui, quoties eandem rebus suis commadam sentirent, a me semper expectare potuerunt. Et vero qui Rectoris functionem subire jussus est, ut, non ore solum & ingenio, sed etiam calamo multis prospicit, juvenes subinde requirit, quos, in partem, si minus curarum, operarum tamen adsciscat. Quam obrem vel ex hoc capite me felicem arbitror, quod nunquam defuerunt amanuenses, qui suis oculis, suis manibus & pedibus concatenatas meas molestias saepe diluerent. Neq; vulgarem mihi latitiam Deus concessit, quod plerosq; scholasticorum meorum laborū ministros nunc in functionibus vel splendidioribus vel penitus non contemmendis versari cognosco. Quidbus

bus ut Deus, servorum fidelium censor, ex votum meo  
salutem ac latitiam decernat, sincero precor. Interim  
ad te simul ea precantis pietas pertinebit. Nam sa-  
tis te commendatum fore crediderim, si meis verbis  
Patroni reddantur certiores, talem te fuisse, qua-  
dem & mea docentis conditio, & senescentis necessi-  
tas exoptaret. Habeas igitur testimonium, quod  
cum ipso preceptoris voto conjunctum est. Meam  
fortunam hic es expertus: seu ut clarus loquar, sin-  
gulorum dierum sua fuerunt pensa. Sic faciles ha-  
bebis alios, ut rebus meis te nunquam sensi diffi-  
cilem. Quin etiam, ubi certam vitæ rationem fue-  
ris ingressus, alios simul invenias studiorum, vel ne-  
gotiorum adminiculatores. Certè si Lipsia quosdam  
babuerit mei memores, vel hoc nomine certiorem ad-  
missionem tibi promitto. Dab. è Gymnasio zit-  
taviensi, d. ii. Maj. M DCCVII.

